THESES INAUGURALES MEDICÆ

De

LACTIS STATU,

Secundum & præter Naturam,

Quas

Affulgente Divini Numinis gratia,

ex

Indultu Amplisſimæ Facultatis Medicæ

in

Almâ ac perantiqua Electorali ad Hieram Academiâ

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores ac Privilegia Doctoralia

legitimè conſequendi

Publicæ Philiatrorum diſquiſitioni exponit

PRÆSES

HENRICUS CHRISTOPHORUS ALBERTI,

Erffurto Thuringus.

RESPONDENTE

JOACHIMO ARNOLDO VVICHMANN,

Hildeſienſi.

Ad diem 21. Novembris, Styli Veteris, Anno 1684.

horis & loco conſvetis.

ERFURTI,

SI ſplendidiſſimam Microcoſmi œconomiā totiusq; humani corporis artificioſam ſtructuram attentâ mente conſideremus, & quàm nitide, appoſiteq; omnes partes in eo à ſapientiſſimo Numine ad actiones rite peragendas ſint diſpoſitæ, paulo penitius intueamur, aliter non poſſumus, quin Omnipotentis Dei ſummam clementiam & ſapientiam non ſine jucunditate & admiratione reverenter agnoſcamus, ſummisq; laudum encomiis deprædicemus. Aſt vero quam variis humanæ vitæ moderatrix Natura calamitatibus affligi conſveverit, plurima in eam impingentia atq; ad internecionē deducentia Symptomata, morborumq; varia genera ſat luculentèr commonſtrāt, & ſane ipſis Naturæ quidem legibus ſancitum deprehendimus, ut quô nobilior partis alicujus dignitas & eminentia exiſtit, eo majoribus tormentorum divexetur cruciatibus, atrocioribusq;

hoſtium inſultibus ſuccumbat: Summâ imò Regia Majeſtate fulgent Mammæ, quarum functiones tanti ponderis ac momenti ſunt, ut universum humanum genus iisdem deſtitutum vix ad dimidium ſeculi & quod excurrit, ſalvum perdurare poſſit.

Et quamvis bipartitas has diva ac curioſisſima Natura exſtruxerit, ut una parte male affectâ ac læsâ, altera ſine impedimento atq; noxa nobiliſſimæ actioni ſuæ invigilare poſſit: accidit tamen, ut totum interdum præluſtre hoc ac nitidum lactis ergaſterium variis fœdis deturpetur maculis, & inquinamentis ſat moleſtis repleatur, adeo ut nunc flamma concepta exardeſcat, nunc humorum vitioſorum cœno obrutum ſordeſcat, nunc cuniculis hinc inde actis hoſtiles inſultus patiatur, unde poſtmodum totius corporis œconomia turbatur, & univerſus ejus vigor deperditur, ipſiq; morti quandoq; latiſſima feneſtra aperitur. In hoc autem hoſtili cenſu inimicorum inſultuum, quibus nobiliſſima pectoris regio variis impetitur modis, non parvi momenti æſtimatur ipſa lactis Penuria atq; Defectus, affectus ille mulierculis ſæpe ſatis moleſtus, & levi

quando

quandoq; de cauſa oriundus. Quapropter hanc ipſam ab aliis quoq; variè deſcriptam materiam mihi explicandam elegi. Verum cum ſumma temporis anguſtia, nec non inevitabilia alia negotia me nimium impediant, quo minus inſtitutum laborem ex votô jam perficere valeam, ſuccinctas ſaltem ac tumultuarias quasdam theſes, impoſterum Supremo vires concedente prolixius exornandas, publicè ventilandas impræſentiarum exhibere volui, quid ipſum verò ut feliciter ſuccedat, divinum Numen, quod hactenus ſtudiorum clementiſſime direxit curſum, ſupplex rogo, ut & huic noſtro cœpto propitium annuere & favere velit!

Cap. I.

ʼΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙʼΑΝ LACTIS TRADENS.

Thes. I.

LIcet quidem rigoroſa vocum declaratio ad curationem rite pertexendam parum aut omnino nihil faciat, quod non in verbis ſed remediis, ſecundum Celſum Medicus ſuo defungatur munere: Cum tamen à vocis conſideratione juxta Scaliger. *Exerc.* 1. *Sect.* 1. ut & Philoſophorum rata & firma conſulta ſæpe numero in rei provehamur perceptionē, nominaq; ſint quaſi ſymbola rerum, nos ne

in aliquo defeciſſe videamur, aut cenſuram ſeveriorem ex-periamur, à nominis evolutione impræſentiarum diſſertationis filum ducemus.

THES. II.

Abſolvitur autem nominalis tractatio tribus requiſitis, Etymologiâ nimirum Homonymiâ & Synonymiâ: Etymologia primo ſe examinandam præbet. Latinum hoc vocabulum Lac nonnulli à græco vocabulo, λευκόν, cum Math. Martin. Lexic. Philolog. derivant, nos verò commodius ejusdem natales deduci poſſe vel à latino verbo allicio, ſeu quod propinquius à ſimplici & obſoleto lacio; aut à græco γάλα, γάλακτος, amputatis duabus literis prioribus, (eô, quod teſte Priſciano lib.). Antiquitas lacte in recto & nominandi caſu pronunciaverit,] rectè cū Sebiz. aliisq; Clariſſ. Autoribus variis ſtatuimus. Haud neglectis quoq; deductionibus hebraicis, quas apud Matth. Martinum allegatô locô reperire licet.

THES. III.

Etymologiam jure Homonymia excipit, eandem verò ipſum noſtræ diſſertationis frontiſpicium explicat, non enim intellectum volumus lac illud artificiale & Hermeticum, quale lac virginis, ſulphuris, &c. neq; etiam Pharmaceuticum ex. gr. emulſ. Amygdalar. perlar. &c. Neq; etiam nobis ſermo erit de vegetabilibus iſtis lacteſcentibus ſuccis, ex gr. Eſulæ, lactucæ, aliarumq; plantarum. Siccô præterea pede jam præterimus lac illud lunæ famoſiſſimum. Nec ignotæ ſunt nobis analogicæ illæ & quandoq; hyperbolicæ lactis comparationes, ubi per lac genitura ſeu ſemen indigitatur, vid. Job. c. 10. v. 10. Nonne ſicut lac mulſiſti me & Moyſes, & cum ipſo Hieronymus in cap. 11. Jerem. promiſſam terram Canaan lacte & melle manantem dicit. Uti & ſunt noti Rhetorū floſculi, in quibus verborum elegantia lacti comparatur. Nec expectandum deniq; erit examen lactis animalium brutorum, quod ipſum licet humano quam maxime homogeneum, præſen-

præſentis tamen inſtituti eſt, non niſi de poſteriore hoc pauca in chartam conjicere.

THES. IV.

Quoad ſynonymiam variis apud Autores inſignitur nominibus. Iſidorus ſuccum maternum; Lucretius candentem lacteum humorem appellat: Alii candidum & infantile nutrimentum, mammarum nectar, indigitant: alii alia ipſi encomia tribuunt, quam injuſtè autem quibusdam lac ſangvis dealbatus audiat, ſequentia dilucidabunt. Et hæc quidem de onomatologia ſufficiant, deveniendum nunc ad pragmatologiam.

CAP. II.

LACTIS STATUM SECUNDUM NATURAM EXHIBET, EJUSDEMQVE DEFINITIONEM PROPONIT.

THES. I.

DEfinitionem itaq; lactis ponimus ſequentem, quod nimirum ſit liquor albus & dulcis, in mammarũ glandulis beneficio ſpecifici ibidem deliteſcentis fermenti e chylo productus, in commodiſſimum infantis jam in lucem editi nutrimentum convertendus.

THES. II.

Generis locô dicimus eſſe liquorem non ſimpliciter excrementitium, ſed propter abundantiam ſummasq; naturæ leges utiliter evacuandum, (qua ratione, nectar iſtud vitale, ſangvis quandoq; ſui imminutionem poſtulat,) unde aliis ſtricte dictis excrementitiis & abſolute inutilibus humoribus minime annumerandum eſſe judicamus, de cæteris vero liquoris qualitatibus in lacte obſervabilibus ipſi ſenſus externi quemlibet certum faciunt.

TH. III.

Thes. III.

Ratione Differentiæ quatuor lactis cauſas conſideramus, formalem ſcil. materialem, efficientem & finalem. Formalis requirit, ut ſit liquor albus non lividus, ſeu alterius inconvenientis qualitatis; & ut majori â fœtu delectatione aſſumatur, maximè ejusdem dulcedo erat neceſſaria: cum verò ſecundum diverſas ſuas partes diverſimodè ab Autoribus dividatur, noſtro palato arridebit easdem diſtinguere in butyroſas, caſeoſas & ſeroſas.

Thes. IV.

Sequitur jam ipſa lactis Materia, quæ hactenus inter viros eruditos ceu pomum Eridos, variè fuit agitata, utrum ſcilicet iſtud ſangvini, an vero chylo ſuam debeat originem. Priorem ſententiam olim Avicenna, Galenus, Ariſtoteles & cum his univerſa fere Antiquitas (quibus ſeſe aſſociavit Lindanus Diſput. de Lacte) ſtrenuè defendunt, in hanc ſententiam forſan inducti, quoniam utplurimum lactantibus menſes deficere obſervabant, & quibus per ætatem amplius menſes non fluunt, apud eas neq; lac generari, aut quia male Hippocratis aphoriſmum 39. Sect. 5. intellexerunt, ubi dicit: Si mulier, quæ neq; gravida eſt, neq; peperit, lac habet, ei menſtrua defecêre. Quam infirmo autem talo horum omnium aſſerta innitantur, ſequentibus probabimus.

Thes. V.

Menſtruum itaq; ſangvinem materiam non præbere lacti, quamplurima bruta, quæ menſtrua nulla patiuntur, copioſum tamen lac quotidie præbent, ut & varia virorum (præſertim novi orbis ſi fides habenda ſcriptoribus) Vetularum, infantium, &c. exempla evincunt. Sic *Schenckius lib. 2. obſerv. 290.* mentionem facit civis cujusdã Briſacenſis, qui in conventibus ſæpius copioſum lac in aſſidentiũ conciviũ faciem petulanter emittebat. Quod etiam non omnibus lactantibus ſemper deficiant menſes, teſtatur experientia. Videatur

dicatur *Rodericus à Caſtro l. 4. de N. M. cap. 10. & Schenck.* Quod verò plerumq; in lactantibus menſium obſervetur defectus, non exinde eſt, quod menſes ſint materia lactis, de quod illa materia, quæ lacti & ſangvini eſt communis in magna copia ad mammas deducatur: hinc natura geminæ tali excretioni plerumq; inſufficiens eſt: Et ſi ſangvis menſtruus eſſet materia lactis, ſingulis tantum menſibus lactis proventus ſentiretur: ad hæc proportio lactis quotidiè emiſſi menſtruorum quantitatem longè ſuperat, & fluentibus lochiis ſatis copioſis, magna tamen lactis copia ſæpius fuit obſervata. Ipſum vero ſangvinis commeatum ab utero ad mammas per venas epigaſtricas & mammarias, exoſculantibus invicem ſe anaſtomoſibus αὐτοψία & circulationis leges jamdudum everterunt.

THES. VI.

Alii periculoſam hanc Charybdim evitare volentes in pernicioſiorem Scyllam ſeſe præcipitarunt, locô menſtrui ſangvinis univerſam reliquam M. S. pro materia lactis venditantes: cujus Sententiæ primarius fere defenſor eſt Franciſcus de le Boe Sylvius, hiſce imprimis munitus argumentis, quod lactis loco ſæpenumero ſangvis effluat, & quod ex adhibito medicamento ſtiptico confeſtim ulterior ſangvinis effluxus ſiſtatur, ejusq; loco lac iterum effluat, ad hæc lactationis tẽpore arteriæ atq; venæ magis appareãt turgidæ, cum tamen tanta ſangvinis copia pro mammarum nutritione non erat neceſſaria. Verum ſangvi iſte è papillis violenter prolicitus minime lactis materiam ſangvinem eſſe probat, multo minus reſtitutus poſt eorum conſolidationem lactis proventus: Ipſam vero vaſorum ſangviferorum, ut & quandoq; nervorum intumeſcentiam à compreſſione gandularum lacte refertarum dependere veriſimile videtur.

THES. VII.

Miſſô quapropter ſangvine menſtruô ad reliqvum lau-

dabiliorem ſangvinem nos conferimus , & ex qua ratione materam lacti præbere queat, ſequentia producimus argumenta. 1. Si lac ex ſangvine generetur, nutrices absq; virium jactura ſummoq; vitæ periculo haudquaquam lactare poſſent infantes, cum quotidie tanta lactis copia abſumatur, quæ ſi ex ſangvine eſſet, ut immodica V. S. ſic & lactatio valetudini nutrices valdè obeſſet, ipſiq; hydropem & cachexiam, immo ipſam mortem acceleraret, quinimo eidem nunquam menſtrua fluerent, cui ipſi vero quotidiana reclamat experientia. 2. Fibroſa ſangvinis ſubſtantia lactis è ſangvine productionem refellit, cum tales fibrillas , quæ qs, eſſentiales ſangvinis partes conſtituunt in lacte obſervare non liceat. 3. Neq; Natura per eandem viam & progredi & regredi conſvevit, ſi ex chylo ſangvinem, & ex illo lac denuo conficeret, retrogrado & præpoſtero ordine oberraret, quippe chylus quaſi lac quoddam eſt, fruſtra etiam exhauſtô priore labore poſteriorem magis arduum intenderet, nam ſi primum lac ſive chylus in ſangvinem non abiret , minimè opus foret alterâ operâ, novâq; iterum ſangvinis in lac reductione, quanta quæſo ad tantam reductionem requireretur mora ? adhæc 4. Annon mulier ſtatim poſt ablactationem graviſſimos incurreret morbos cum magna iſta quantitas hactenus evacuari ſolita jam in mammis reſtagnaret, ibidem putredinem contraheret, mammæ abſceſſibus & inflammationibus infeſtarentur, copioſaq; materia purulenta ibi colligeretur; & hoc non ſolum in ablactatione, verum etiam in quotidiana lactis generatione, dum ſangvis ibidem remoraretur usq; dum lactis formam indueret. *Hipp. Sect. 5. aph. 4.* Sangvinem ad mammas collectum furorem inducere pronunciat. Plura de his vid. apud *Deyſingium, in diſſert. de lacte.* Cœterum an à nervis etiam, quod *Warthonus Adenograph. cap. 36.* perſvadere conatur, peculiaris quidam ſuccus, ad lactis generationem contribuatur, nondum ſatis liquet, cum nutritius

iſte

iſte nervorum ſuccus à laudato Authore aliisq; eruditis Viris aſſertus multis adhuc involvatur dubiis: interim Spiritus animales ad mammas deferri probabile hactenus viſum fuit.

THES. VIII.

Reſtat jam ipſam Mammarum conſtitutionem ſecundum naturam brevibus delineare. Conſtant hæ copioſis glandulis, variis tubulis, & ductibus inter ſe connexis, multáque interſpersâ pingvedine junctis, quæ membrana carnoſa ſuccinguntur muſculisq; ſubjacentibus annectuntur: In harum glandularum medio una magna ſub papilla delitescit, quam reliquæ omnes circumdant: Vaſorum quoq; lacteorum plexus infiniti glandulis inſeruntur, quibus mediantibus non ſolum ſuccus lacteus ad omnes defertur, verum etiam minores ſuum lac in magnam glandulam effundunt. Præterea in ipſis glandulis pori ſunt ampli, in quibus lac ad ſuctionis tempus tanquam in cellulis aſſervatur.

THES. IX.

Glandulæ iſtæ magnæ impoſitum eſt corpuſculum teres & fungoſum, quod papilla dicitur, penis glandi ſecundum Diemerbroccium in Anatom. haud abſimile, quod ex ſuctione & contactu modo erigitur, modò flacceſcit. Exquiſitiſſimo gaudet ſenſu, numerum ſi ſpectes unica eſt in quavis Mamma, raró duplex, qualè obſervavit Hollerius & Kerckringius. Virginibus leviter prominet, & quaſi fragum rubens exiſtit, Circulo quodam umbroſo, Areola latinis nuncupato, velut Halone circumdatum: In hanc papillam exigui lactei ductus terminantur.

THES. X.

Vaſorum numerus in mammis diverſus, utplurimum tamen quintuplex obſervatur. Ex his arterioſa & Venoſa vaſa partim cutanea ſunt & ab axillaribus oriuntur: partim mammaria propriê dicta & à ſubclaviis ramis propagata ſunt.

Atq; hæc per mucronatæ cartilaginis fiſſuram, ſæpius interdum per ipſum ſternum, nonnunquam per ſpatium intercoſtale deſcendunt ad rectos abdominis muſculos, occurruntq; venis & arteriis epigaſtricis, ſed ita ut aut nunquam juxta *Veſal, lib. 3. cap. 9. Rolfinc. l. 5. Diſſert. Anat. Horn. in microcoſm. §. 26.* aut rariſſimè annotante *Jo. Vesling. in Syntagm. Anat. cap. 2. Barthol. Hiſt. An. rar. Cent. 6. hiſt. 47.* cum iisdem per anaſtomoſin conjungantur, & coaleſcant. Et idcirco conſenſus uteri cũ mammis per hæc vaſa mere fictitius eſt. Vid. *Diemerbr. p. m. 339.* Vaſa nervoſa autem á quarto intercoſtali nervo huc occurrunt, craſſiore ramo ad papillam deſinente ut *Lindanus in Medic. Phyſiol. cap. 7. §. 185.* habet: hi nervi tam acutum papillæ ſenſum tribuunt. Reliquis vero tum ad cutim diſperſis, tum in totum parenchyma glanduloſum magno numero per obſervationem Warthon. diſtributis. Nervos hos Lactationis tempore magis intumeſcere putant quidam, & idcirco per eos laticem ad lactis materiam adduci credunt. *Vid. Warthon. Adenograph. cap. 36. pag. 240.* Sed quis poteſt hanc rem dirimere, quis eandem ſecuit lactantem & non lactantem? Et annon in quibusdam vaſa ſunt majora quam in aliis: & poſitô, quod turgeant aliquantulum, cum enim liberior datur exitus, non mirum etiam plus ſpirituum & lactis affluere, adeoq; nervos nonnihil turgidulos fieri, quanquam illa turgeſcentia exigua tantum ſit. Vaſa quoq; lymphatica ſecundum Warthon. l. c. ſatis numeroſa & in vaccarum uberibus ſatis conſpicua feruntur, quæ aquoſum illum & ſuperfluum à nutritione liquorem revehunt.

Thes. XI.

Præter modo dicta Vaſa tubuli etiam candidi in mamma reperiuntur, à toto ambitu partis interioris enati. Hi initio latiores & ſenſim anguſtiores centrum verſus facti, tandem ſuis extremitatibus deſinunt in ſummam papillam à Spigelius nomen his lactiferis dedit venis, vulgoq; tubuli

γαλαν-

γαλακτόφοροι appellantur ab uſu: Qui eſt confectum lac aſſervare ad uſum lactantium, in quibus ideò conſpectiores multò ſunt, quam in virginibus & emaciatis: Et quamvis horum fundamentum abſente etiam lacte obliteratoq; glanduloſô ubere per omnes ætatis gradus ſuperſtes manere teſtis ſit Veslingius *Syntagm. cap.* 9. eosdemque tubulos obſervarint Barthol. Warthon. aliiq; ; eorum tamen exiſtentia tam certa non eſt, ut de iisdem dubitare prorſus non liceat. *Vid. Celeb. Fr. dele Boe Sylvius Prax. Med. lib.* 3. *cap.* 10.

THES. XII.

Antequam ad proximas illas vias, per quas chylus ad mammas defertur, exponendas pergamus, prius de ipſius chyli natura ejusq; deductione paucis diſpiciendum. Aſſumpta ore alimenta dentibus comminuta, & ſalivali humore probe imbuta, per æſophagum ad ventriculum beneficiô lingvæ ſatis mobilis, muſculiq; ſphincteris detruduntur, in hoc â ſpecifico ac ſibi domeſtico fermento, vitaliq; principio ſpecificum aſſumtis characterem imprimente, eaq; â putredine defendente, ita reſolvuntur, ut volatiliores ſpiritaſcentes & magis fluxiles particulæ â terreſtribus, fixioribusq; ſeparentur, laudabilisq; ſuccus per inteſtinorum volumina, ceu prolongatum ventriculum deferatur.

THES. XIII.

Per principium hoc vitale intelligimus ſpiritum arterioſum de Maſſa ſangvinea per copioſiſſimas arterias gaſtricas in ventriculum influentem: Hic inſitum ventriculi ſpiritum amicè quaſi alloquitur, cum eodem ſeſe conjungit, eum roborat ac vegetat, & hi ambo deſideratô vinculô uniti, ulterius liquori glandulari ſtomachi, tanquam craſſiori & magis corporeo ſeſe aſſociant, ſicq; cum eô ſpecificum conſtituunt fermentum.

THES. XIV.

Fermentum hoc ventriculi alimenta aggreditur, iisque

 per

per minima ſeſe commiſcet, particulas craſſiores ac viſcoſio- res incidit, poros dilatat ac tandem vitali charactere ſigillat. Ad hanc ciborum diſſolutionem non parum confert humor ſalivalis, quatenus pars hujus aquea cibos macerat, ſaliaque in iis latitantia diſſolvit, ut ita ad fluorem quodammodo deveniant, quæ antea erant ſolida: ineſt enim ſalivæ vis immutandi alimenta, imò fermentationis principium, ex hac ratione ipſam ventriculi digeſtionem qua ſi inchoat, hincq; à quibusdam fermenti ſtomachalis pabulum audit.

THES. XV.

Alimenta hæc in ventriculo probè fermentata, vitaliq; charactere ſigillata in maſſam quandam, hordei cremori haud abſimilem plerumq; convertuntur, quæ per pylorum beneficiô motus præſtaltici ad inteſtinum duodenum propulſa ex concurſu bilis & ſucci pancratici novam alterationem ſubit, chylusq; exinde laudabilis perficitur, in hac nimirum fermentatione inutiles ab utilibus ſequeſtrantur particulæ adjuvante non parum ſpiritu arterioſò de M. S. accedente.

THES. XVI.

Separatus hoc modo chylus laudabilis, & à ſpiritu arterioſo vaporoſus redditus per cruſtam inteſtinorum ſpongioſam beneficio motûs periſtaltici tranſcolatur, partim in vaſa lactea, partim verò magneticè ad varia loca ſub ſpecie vaporis defertur, quod teſtantur varia animalia venis lacteis deſtituta. Chylus verò per venas lacteas fluens in meſenterii glandulis de novo alterationem ſuſcipit, eamq; à ſpiritibus animalibus tum in lympha exiſtentibus tum per nervos copioſos eo delatis, qui fixiores chyli partes magis volatiliſant, obtinet. Chylus hinc perfectior redditus partim in commune receptaculum Pecquetianum, & ex hoc per ductum Thoracicum ad venam axillarem & jugularem derivatur, partim verò in forma vaporis per poroſam corporis ſubſtantiam undi quaq; diſpergitur in qua ſententia conſentientes

habeo

habeo *Hippocr. de Nat. pueri text. 21. p. 147. Entium contra Pariſan. digreſſ. 5. & Petr. Guiffartum de prox. Lact. Mat. Cramerum νῦν ἐνεργίοις.*

Thes. XVII.

Deductâ jam viâ Chyli ordinariâ ejusdemq; elaboratione, brevior etiam viarum, per quas chylus ad mammarum glandulas defertur, mentio facienda erit. In his deſcribendis Autores maximè diſſentiunt; alii chylum per Vaſa ſangvifera deducere volunt: horum vero aſſerta cùm circulationis leges, tùm vaſorum exilitas, ipſaq; ad mammas delata chyli copia refellit; alii proximas vias à ductu thoracico, venam ſubclaviam ingrediente, variosq; ramulos chyliferos ad mammas diſſeminante, deducunt, è quorum numero ſunt *Barthol. tr. de lacteis thoracicis cap. 18. Fortunat. Plemp. in fundam. Med. lib. 2. p. 64. Charlet. Exerc. de galaxiâ p. 52.* Et licet hi ductus conſpicui non ſint, ſed deliteſcant, quia Chyloſus ſuccus in iis non ſubſiſtit, nec magis detinetur, quam urina in ureteribus, interim tamen prorſus negandi non ſunt, cũ etiam lactea meſenterii vaſa chylo in receptaculum effuſo ſtatim evaneſcant: Plura *vid. ap. Diemerbroec.* Quod vero Chylus præſertim magis ſubtilis ac vaporoſus ex primis viis ſtatim ad mammas deferatur, & ab harum Spiritu inſito quaſi magneticè attrahatur, teſtatur *Proſp. Martian. lib. de carn. cæcis duct. Caſtellus lib. 2. c. 59. Euerhard. de homin. brutiq; exortu p. 282. ut & Pecquet. Diſſert. de lact. thor. exper. 4. it. Theodor. Schenck. & Deyſing. Diſſert. de lact. p. 383.* Ipſe quoq; grandævus Hippocrates huic ſubſcribit ſententiæ *lib. de Nat. pueri text. 21. pag. 147.* & hoc ipſum quoq; veritati conſentaneum eſſe ſubitanea Nutricum refectio ab aſſumto potu, quin & ipſæ aſſumtorum qualitates in lacte ſtatim obſervabiles, confirmant.

Thes. XVIII.

Certiores jam de Viis ad mammas facti, ad Cauſam efficientem nos conferimus, quam ſpecifico in mammarum glan-

glandulis deliteſcenti fermento γαλακτοποιητικῷ aſcribimus, hoc ipſum verò adſcititium eſſe, & ab utero, virili genitura fœcundato ortum ſuum trahere, probabile videtur: Nec non ipſam lactis per glandulas tranſcolationem ſuum quoq; Symbolum conferre, cùm ſpecificus & peculiaris cujusvis glandulæ uſus, tùm ipſius tranſcolati permutata qualitas ſufficienter demonſtrat. Per fortiorem quoq; ſuctionem, ut & intentam imaginationem ceu cauſas concurrentes majorem lactis copiam produci, ipſa loquitur experientia.

Thes. XIX.

Uſuq; igitur lactis primarius eſt, ut ſit optimum recens natorum alimentum; De ſecundario vero, ceu ſcopo noſtro parum accommodato, non adeò ſolliciti ſumus.

Cap. III.

STATUM LACTIS PRÆTER NATURAM, ET IN SPECIE EJUSDEM DEFECTUM EXPLICAT.

Thes. I.

Expoſitò jam Lactis ſtatu naturali ad præternaturalem nos convertimus, & licet qvam plurimæ hujus deprehendantur affectiones ſeu conſtitutiones p. n. hâc vice tamen unicam ſaltem, eamque non infimam, lactis ſcilicet defectum breviſſimè delineaturi ſumus: Hujus Cauſa ad duo potiſſimum capita revocari poterit. Vel ad inopiam Materiæ lactificandæ, vel ad vitia organorum lactificantium.

Thes. II.

Inopia Materiæ eſt à chyli affluxu vel inſufficiente vel negatô. Quod verò chylus vel inſufficienter, vel non affluat culpa rejicienda eſt partim in vias ſuperius deſcriptas, per

quas